

INDEX SCHOLARVM

QVAE

SVMMIS AVSPICIIS

REGIS AVGVSTISSIMI

G V I L E L M I

IMPERATORIS GERMANICI

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

PER MENSES HIBERNOS ANNI CIƆIƆCCCLXXXVI—LXXXVII

A DIE XV MENSIS OCTOBRIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABEBVNTVR

Insunt EDVARDI LVEBBERTI *meletemata in Pindari locos de Hieronis regis sacerdotio Cereali.*

BONNAE

APVD MAX COHEN ET FILIVM (FR. COHEN)

RECTOR ET SENATVS

VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE RHENANAE

CIVIBVS

S.

1. De duobus quae fuerint Pindari aetate apud Graecos rerum divinarum supremis generibus.

Duo viguerunt Pindari aetate apud Graecos deorum colendorum suprema genera: alterum, quod Apollineum seu Delphicum voces, in quo a deorum maiestate hominum humilitas longe seiuncta est; ubi praestantissima effata: μηδὲν ἄγαν, γνῶθι σαυτόν, παντὶ μέσῳ τὸ κράτος θεὸς ὤπασεν resonant; denique ubi vera virtus in operoso duroque per aspera ad astra cursu, in quotidiano et constanti cum vitae turbis atque procellis certamine comprobatur. Alterum genus, quod mysticum appelles, oculos fixos tenet in eis numinibus, quae, ex Olympi sublimi altitudine in hominum casas demissa, summum pectoris luctum et summum gaudium suis ipsa fatis experiuntur; in quo pietatis et sanctitatis flos ea re continetur, ut initiati sacro orgiorum turbine elati cum divino numine quam arctissima lugendi et laetandi communione coniungantur. De hoc posteriore genere subtiliter Aristoteles ait: τοὺς τετελεσμένους οὐ μαθεῖν τι δεῖν, ἀλλὰ παθεῖν καὶ διατεθῆναι (conf. Lobeck, Agl. p. 145); ac pulchre Themistius quoque apud Io. Stob. CXX, 28 p. 107 ed. Meineke: πλάναι τὰ πρῶτα καὶ περιδρομαὶ κοπώδεις καὶ διὰ σκότους τινὲς ὕποπτοι πορεῖαι καὶ ἀτέλεστοι, εἶτα πρὸ τοῦ τέλους αὐτοῦ τὰ δεινὰ πάντα, φρίκη καὶ τρόμος καὶ ἱδρὼς καὶ θάμβος· ἐκ δὲ τούτου φῶς τι θαυμάσιον ἀπήντησε, καὶ τόποι καθαροὶ καὶ λειμῶνες ἐδέξαντο.

2. Pindarum in vita et poesi theologiam Delphicam studiose expressisse, theologiam mysticam e longinquo salutasse.

Iam si quaeramus, utra deorum colendorum ratio Pindaro magis arriserit, iudicium dubium esse vix potest. Inest in omnibus eius carminibus exquisitissima illa et purga-

tissima sapientia Delphica, quae summos vitae thesauros non in praestantissumis illis horis, quibus anima rerum terrestrium oblita turget et aestuat, sed in ipsius vitae palaestra et his rebus cotidianis fortiter recteque administrandis conditos esse docet. Noverat sane Pindarus quoque divini illius instinctus vim, qua in mysteriorum caerimoniis numina quasi praesentia homines medullitus sentiunt; noverat profecto, atque nemo id Pindaro pulchrius elocutus est, velut in threni fragmento apud Clementem Alex. Strom. III p. 518 ed. Pott. (= Bergk, Poet. Lyr. Gr. I[4], 429): ὄλβιος ὅστις ἰδὼν κεῖν' εἶσ' ὑπὸ χθόν'· οἶδε μὲν βίου τελευτάν, || οἶδεν δὲ διόσδοτον ἀρχάν. Sed rerum ille humanarum acutissimus iudex intellegebat, tam beatarum horarum memoriam in turbulentis vitae certaminibus fluxam saepe et caducam esse. Haec Pindari de rebus divinis sententia pulchre historiola aliqua illustratur. Proserpina, ut narrat Pausanias IX 23, 3, Pindaro seni paucis ante obitum diebus in somno apparuit, et conquesta paullulum, quod ex omnibus deis deabusque sibi, tali numini, soli nullum unquam hymnum composuisset, edixit, se curaturam, ut, ubi mox ad se pervenisset, illud, quod oblitus sit facere, sedulo suppleret. Id ita factum esse. Nam mortuo Pindaro umbram eius mulierculae cuidam cognatae per somnum hymnum in Proserpinam praecinuisse, quem deinde illa expergefacta litteris consignarit: ὡς ἀπέλιπεν αὐτὴν ὁ ὕπνος, ἔγραψε ταῦτα, ὁπόσα τοῦ ὀνείρατος ἤκουσεν ᾄδοντος. In averso paullulum a religionibus mysticis animo convenit Pindaro cum Doriensibus Peloponnesiis, de quibus Herodotus II, 171: μετὰ δὲ ἐξαναστάσης πάσης Πελοποννήσου ὑπὸ Δωριέων ἐξαπώλετο ἡ τελετή, οἱ δὲ ὑπολειφθέντες Πελοποννησίων καὶ οὐκ ἐξαναστάντες Ἀρκάδες διέσωζον αὐτὴν μόνοι.

3. De unius e Pindari amicis, Hieronis regis, animo erga mysteria maxume prono. Eum *hierophantae* sacerdotium, in familia sua hereditarium, per tempus vitae gessisse.

Illam igitur sapientiam Apollineam, quae universae vitae humanae deorum immortalium vestigia impressa ostendit, quaeque in totius mundi harmoniam et κόσμον unumquemque hominem pro viribus sese adaptare et tanquam in aedificium lapidem sese inserere iubet, eam ubique Pindari carmina spirant. Praefulgent vero in hoc genere carmina in Hieronem, quae huius sapientiae plenos quasi alveos effundunt. Atque erat sane, cur Hieroni potissumum regi Pindarus Apollinea praecepta diligenter expendenda propinaret. Hiero enim rex Cereris et Proserpinae, chthoniarum dearum, sacris a tenera aetate imbutus et plane innutritus erat. Propagabatur in eius familia ab antiquissimis iam temporibus *Hierophantae* dearum sacerdotium; eo munere Hiero decoratus erat idque cum post mortem Gelonis regnum Syracusarum suscepisset, ne rex quidem deposuit. Ad hanc Hierophantiam Pindarus in versibus celeberrimis alludit, Bergk, Poet. Lyr. Gr. I[4], 408: σύνες ὅ τοι λέγω, ζαθέων ἱερῶν || ὁμώνυμε πάτερ, κτίστορ Αἴτνας. Iam igitur Hieronem quomodo de Cereris et Proserpinae sacrorum praestantia sensisse arbitrabimur? Nonne

ita eum animatum fingemus, ut nihil quidquam praestantius a dis immortalibus hominibus datum crediderit? ut illas horas animae ad caelestia abreptae tam profecto beatas iudicarit, ut prae illis reliqua vita sorderet omnesque humanae conditionis aerumnae eius gaudii memoria compensarentur?

Sed iam operae pretium erit, Hieronis illa sacra qualia fuerint et quomodo in eius familiam pervenerint, accuratius investigare. Extat de hac re luculenta, quamquam aliqua fortasse malevolentia obscurata Herodoti narratio. Tradit historiae parens VII, 153: quo tempore Entimus et Antiphemus Lindo urbe Rhodia profecti cum colonorum agmine Siciliam petierint et Gelam urbem condiderint, quod anno 689 a. Chr. factum est, conf. Thuc. VI, 4 et Diodor. VIII, 23 ed. Dind., eidem expeditioni proavom quoque Golonis et Hieronis tyrannorum, virum e Telo insula prope Triopium promunturium oriundum, interfuisse. Huius hominis nullum nomen Herodotus tradidit, sed „incolam in urbe Gela“ eum vocat: τοῦ Γέλωνος τούτου πρόγονος, οἰκήτωρ ὁ ἐν Γέλῃ, ἦν ἐκ νήσου Τήλου τῆς ἐπὶ Τριοπίῳ κειμένης, ὃς κτιζομένης Γέλης ὑπὸ Λινδίων τε τῶν ἐκ Ῥόδου καὶ Ἀντιφήμου οὐκ ἐλείφθη. Verum hominis nomen Scholiasta Pind. Pyth. II, 27 p. 314 ed. Boeckh servasse videtur, qui „Dinomenem“ eum vocat, quod coniectura iam assecutus erat O. Mueller, Prolegg. Mythol. p. 161.

4. Sacra chthoniarum dearum, olim in familia Dinomenidarum privata, quomodo publica Gelensium facta sint. Ea sacra, e Telo in Siciliam adlata, Triopiorum prope Cnidum propaginem videri.

Pergit Herodotus: Ad huius viri posteros hierophantiam chthoniarum dearum, sacerdotium nobilissimum, ab Gelensibus in omne tempus translatam esse. Eius tanti tamque eximii honoris hanc causam fuisse. Quo tempore Gelenses deas chthonias nondum publico cultu venerati sint, evenisse, ut per discordias civiles pars civium in vicinam urbem Mactorium secessionem faceret; tum unum ex illa familia, quae Telo oriunda erat, Telinem nomine, fretum gentis suae sacris chthoniarum dearum id ausum esse, ut ad cives egressos se conferret eosque per sanctissima illa deorum simulacra obtestaretur, ut missis hostilibus erga patriam consiliis domum reverterentur. Has preces illos ratas habuisse eoque saluberrimo incepto concordiam in civitate restitutam esse. Herod. l. c.: ἐς Μακτώριον πόλιν τὴν ὑπὲρ Γέλης οἰκημένην ἔφυγον ἄνδρες Γελῴων ἑσσωθέντες στάσι. τούτους οὖν ὁ Τηλίνης κατήγαγε ἐς Γέλην, ἔχων οὐδεμίαν ἀνδρῶν δύναμιν, ἀλλ' ἱερὰ τούτων τῶν θεῶν. Hoc meritum ita remunerati sunt Gelenses, primum ut sacra chthoniarum dearum publice reciperent, deinde ut Telinae posteris hierophantiam iure hereditario mandarent; Herod. l. c.: αὐτοῦ οἱ ἀπόγονοι γενόμενοι ἱροφάνται τῶν χθονίων θεῶν διετέλεον ἐόντες et infra: κατήγαγε, ἐπ' ᾧ τε οἱ ἀπόγονοι αὐτοῦ ἱεροφάνται τῶν θεῶν ἔσονται.

Haec in universum luculenter et cum fide tradita sunt; sed qui paullo curiosius Herodoti narrationem legerit, confitebitur, eam cum aliquo obtrectandi studio compo-

sitam esse, quod ex parte hominum fortasse, a quibus haec scriptor accepit, odiis et malevolentiae tribuendum fuerit; sed ipse quoque Herodotus iniquius de tyrannorum decoribus iudicasse videtur. Nam illud quidem, quod scribit: se plane nescire sacra illa chthoniarum dearum unde Telines nactus sit: ὅθεν δὲ αὐτὰ ἔλαβε ἢ αὐτὸς ἐκτήσατο, τοῦτο οὐκ ἔχω εἶπαι, id quomodo accipiendum est? Telinae gens has Cereris et Proserpinae religiones haud dubie ex Telo, insula patria, ut domestica sibi attulerat, eaque sacra eadem manifesto fuerunt, quae in Triopio promunturio ab eius regionis populis sanctissume colebantur. Ea certe erat fama in Dinomenidarum familia propagata, quam ex Timaei Tauromenii historiis, uti videtur, scholiasta Pindari expressit ad Pyth. II, 27, p. 314: Ἱέρων] ταῖν θεοῖν ἱεροφάντης ἀπεδέδεικτο· Δεινομένους γὰρ υἱεῖς εἰσιν οἱ περὶ τὸν Ἱέρωνα τοῦ τὰ ἱερὰ ἐκ Τριόπου τῆς Καρίας εἰς Σικελίαν κομίσαντος. Telus insula, Sporadum quae vocantur una, haud ita lato maris freto a Chersoneso Cnidia et Triopio dirempta est; Strabo X, p. 488: ἡ δὲ Τῆλος ἐκτέταται παρὰ τὴν Κνιδίαν μακρὰ ὑψηλὴ στενή, τὴν περίμετρον ὅσον ἑκατὸν καὶ τετταράκοντα σταδίων, ἔχουσα ὕφορμον. Huius insulae tam vicinae cives sacrorum Triopiorum, quae sunt Cereris et Proserpinae sacra, participes fuisse, certissumum est.

5. Herodoti VII, 153 de sacris hereditariis Dinomenidarum narrationem documento esse, non semper parentem historiae sine ira et studio rettulisse.

Deinde vero colonos illos Telinos, qui cum Antiphemo et Entimo in Siciliam ad Gelam condendam emigraverunt, minume de plebe homines fuisse neminem hercle fugere potest. Immo fuerunt, qui pro Antiphemo coloniae duce Dinomenem nominarent; Etymol. magn. s. v. Γέλα· ὅτι Ἀντίφημος ἢ Δεινομένης ὁ Ῥόδιος κατὰ χρόνον εἰς Δελφοὺς παραγενόμενος ἤκουσεν, ὅτι δέοι αὐτὸν πρὸς δυσμὰς ἀπιόντα πόλιν κτίζειν. Herodotus igitur Halicarnassensis, urbis et Triopio et Telo insulae perquam vicinae civis, quomodo quaeso incertus esse potuit, unde chthoniarum dearum sacra ad nobilem aliquam Teli insulae gentem pervenissent? Itaque quod scribit VII, 153, obscurum sibi esse, unde Telines Gelensis chthoniarum dearum religiones aut acceperit traditas, aut ipse sibi paraverit, tanquam temere ille in modum mendici cuiusdam arioli in hanc possessionem irrepserit, haec praestantissumi scriptoris vox, ut libere dicam, iniquior sane videtur et ex nimio quodam tyrannidis odio nata. Quamquam enim concesserim, Herodoti aetate chthoniorum numinum ad Triopium cultum prae Apollinis et Neptuni religione (Herod. I, 144; Dion. Hal. IV, 25; Schol. Theocr. XVII, 68) in oblivionem paullulum abire potuisse, tamen omnem eius cultus illo tempore memoriam radicitus extinctam et sublatam fuisse, minume credibile est, cum aliquot saeculis post tam clara eius monumenta inveniantur (Corp. Inscr. Gr. I, no. 26 et III, no. 6250 sq.). Quae cum ita sint, haud aliter Hieronis proavos sacra illa chthonia nactos esse apparet, quam innumerabiles aliae gentes sacerdotales, quae pro antiquitatis captu plerumque ad divinum aliquod miraculum sacrorum suorum origines referebant. Deinde illud quoque mirum est apud Herodotum, quod "testimonio incolarum

Siciliae" fretus refert, Telinen illum, qui egregio facto concordiam rei publicae Gelensium reddidisset, hominem ingenio et natura effeminatum et mollem fuisse; Herod. VII, 153: ὁ δὲ (i. e. Τηλίνης) λέγεται πρὸς τῆς Σικελίης τῶν οἰκητόρων τὰ ὑπεναντία τούτων πεφυκέναι θηλυδρίης τε καὶ μαλακώτερος ἀνήρ. Hoc quaeso unde resciverant illi rumorum fabricatores? In gente Dinomenidarum haec tradita esse, neutiquam verisimile est.

6. Quod vetustissimorum Gelonis proavorum nulla apud Herodotum nomina propria traduntur, non ex Herodoti aliqua malevolentia explicandum, sed ex *Hieronymiae* lege quae et olim antiquissimis temporibus et postea imperatorum aetate religiose observata sit.

Sed utut est, Herodotus hac sine dubio re gratiam nostram eximie iniit, quod hierophantiam Cereris et Proserpinae in gente Gelonis et Hieronis hereditariam fuisse indubitato testimonio tradidit. Atque unum est in narratione Herodotea, quod primo adspectu ipsum quoque ad laudes eius familiae obscurandas excogitatum videri possit, quod, si accurate examinetur, tale appareat, ut ad gloriam potius et pietatis laudem plurimum quantum conferat. Apud Herodotum enim proavus ille Gelonis, qui Gelae condendae particeps est, nomine proprio caret. Deinde Telines quoque, cuius merito sacerdotium e domestico publicum factum est, nomen potius alicuius tribus, quae ex colonis Telo oriundis constituta fuerit, ostendere videtur, quam certum et proprium unius hominis nomen. Nam incolae Teli insulae "Telii" sane vocantur; Steph. Byz. s. v.: τὸ ἐθνικὸν Τήλιος. Sed tribus Teliorum Gelensis quidni "Telina" vocata sit? Quaeritur, quid apud Herodotum haec nominum ambiguitas sibi velit. Explicatio ni fallor in promptu est. Solebant sacerdotes et viri et feminae, quibus sacerdotia sanctissima, potissumum in Cereris cultu, mandata essent, quamdiu eum honorem gererent, a nomine proprio profano abstinere et in eius locum nomen sacerdotale vel hierophantae et hierophantidis vel aliud substituere. Luculentus de *hieronymia* testis est Lucianus in Lexiphane 10, ubi Dinias quidam ad magistratum rapitur, quod daduchum et hierophantam nomine proprio appellarit: ἐντυγχάνω, δᾳδούχῳ τε καὶ ἱεροφάντῃ καὶ ἄλλοις ἀρρητοποιοῖς Δεινίαν σύρουσιν ἄγδην ἐπὶ τὴν ἀρχήν, ἔγκλημα ἐπάγοντας, ὅτι ὠνόμαζεν αὐτούς, καὶ ταῦτα εὖ εἰδὼς ὅτι ἐξ οὗπερ ὡσιώθησαν, ἀνώνυμοί τέ εἰσιν καὶ οὐκέτι ὀνομαστοὶ ὡς ἂν ἱερώνυμοι ἤδη γεγενημένοι.

Hanc hieronymiae legem antiquissimis temporibus verisimile est antiqua severitate observatam esse. Postea labantibus religionibus laxius et liberalius usurpata est, denique imperatorum temporibus ad priscam severitatem recursum est. Huius moris pulchrum exemplum est titulus hierophantidis cuiusdam Atticae, quae Hadrianum Eleusiniis sacris initiavit. Ea et filii sui et patris nomen indicat, suum profanum, quod ipsi fuerat, religionis caussa tacet; Corp. Inscr. Gr. I, no 434: μήτηρ Μαρκιανοῦ, θυγάτηρ Δημητρίου εἰμί· || οὔνομα σιγάσθω· τοῦτ', ἀποκληζομένη, || εὖτέ με Κεκροπίδαι Δηοῖ θέσαν ἱερόφαντιν, || αὐτὴ ἀμαιμακέτοις ἐγκατέκρυψα βυθοῖς. || οὐκ ἐμύησα δ' ἐγὼ Λακεδαιμονίης τέκνα Λήδης, || οὐδὲ τὸν

εὑράμενον παυσινόσους ἀκέσεις· || . . . || ἄσπετον ὃς πάσαις πλοῦτον κατέχευε πόλεσσιν, || Ἀδριανόν, κλεινῆς δ' ἔξοχα Κεκροπίης. conf. ibid. no 432 et Boeckhium in Corp. Inscr. Gr. I, p. 325, b. Quae si reputemus, oritur suspitio, in Herodoti illa narratione duorum illorum e Gelonis maioribus virorum vera nomina ea de caussa suppressa esse, quod hierophantae fuerunt. Nam licet hierophantiam nondum publica Gelensium auctoritate gererent, tamen iam privatos usum illum eos observasse probabile est. Telinae vero nomen tribum significare videtur. Apud Athenienses quoque nomen demi hierophantarum nomini adiciebatur, velut in titulis apud Rossium, die Demen (Halis Sax. 1846) p. 45, lin. 11: Ἱεροφάντης Εὐστρόφου Πειραιεύς, et lin. 17: Ἱεροφάντης Μενεκλείδου Κυδαθηναιεύς. Atque Hieronis quoque Syracusarum tyranni nomen munus sacerdotale haud dubie exprimit.

7. Hieronis hierophantiae memoriam Didymi potissumum diligentiae deberi, qui in Pindaro enarrando *Timaei Historias* cum cura evolverit.

His stabilitis de ipsius Hieronis nunc hierophantia accuratius quaerendum est. Quattuor fuerant Dinomenis Geloi filii, quos secundum aetatis vitae ordinem Simonides in epigrammate clarissumo enumerat, Anthol. Pal. VI, 214 (conf. Schol. Pind. Pyth. I, 155, p. 309): φημὶ Γέλων', Ἱέρωνα, Πυλύζηλον, Θρασύβουλον, || παῖδας Δεινομένευς τὸν τρίποδ' ἀνθέμεναι. Ex his fratribus natu maximus, Gelo, ad arma et rem militarem a prima iuventute omne studium contulit; Herod. VII, 154; Sch. Pind. Nem. IX, 95, p. 497. Itaque ad eum, qui aetate proxumus erat, Hieronem, sacerdotium hierophantiae delatum est. Forma legitima sacerdotis creandi electio per suffragia civium fuisse videtur, si fides est scholiastarum, qua identidem in hac re utuntur, voci: ἀποδείκνυσθαι. Haec omnia in scholiis haudquaquam ambigue traduntur fide potissumum Didymi, cuius nomen bis sane ita obscuratum est, ut pro eo turpi librariorum oscitantium neglegentia „ὁ Πίνδαρος" scriptum sit; quod vitium Boeckhius certa emendatione sanavit. Leguntur igitur haece praestantissuma hercle de hac re testimonia apud Scholiastam Pind. Ol. VI, 158, p. 153: ἱερωσύνην εἶχεν Ἱέρων Δήμητρος καὶ Κόρης . . . ἐν Σικελίᾳ ἐκ διαδοχῆς Τηλίνου τοῦ προγόνου αὐτῶν i. e. Dinomenidarum. Deinde ib.: Ἀρίσταρχος . . . ὁ δὲ [Δίδυμος] διὰ τὸν Ἱέρωνα, ἐπεὶ ἄνωθεν ἐκ προγόνων ἱεροφάντης ταῖν θεοῖν ἀποδέδεικται. τὰ προκείμενά φησιν ὁ [Δίδυμος] καὶ παρατίθεται τὰ Φιλίστου καὶ τὰ Τιμαίου. Sch. Pind. Pyth. II, 27, p. 314: Ἱέρων] ταῖν θεοῖν ἱεροφάντης ἀπεδέδεικτο. Quae his locis in scholiis traduntur fide dignissima esse, spondet *Timaei* Tauromenitae nomen adscriptum. Nam Didymus, in hac re Aristarcho aliquanto cautior, in Pindari locis difficilioribus explicandis a coniecturis plerumque abstinuit atque Timaei potius Historias diligenter evolvit. Cuius diligentiae plurima specimina in scholiis occurrunt, velut Sch. Pind. Ol. II, 29, p. 64: ὁ μὲν Ἀρίσταρχος . . . ὁ δὲ Δίδυμος τὸ ἀκριβέστερον τῆς ἱστορίας ἐκτίθεται μάρτυρα Τίμαιον . . . προφερόμενος, et ib. Ol. XIII, 29, p. 272: ἀετόν] τινὲς τὸ ἀέτωμα, ὥς φησι Δίδυμος παρατιθέμενος Τίμαιον.

8. Plausu dignissima esse, quae hisce temporibus *Iulius Beloch* de Timaei Historiarum compositione invenerit. Timaei *librum XI* rerum memoriam a pugna Salaminia ad Hieronis mortem complexum esse.

Sed priusquam longius progrediamur, nunc ante omnia illud diligenter definiendum est, quo Historiarum suarum libro Timaeus de Hieronis rebus exposuerit. Cum olim virorum eruditorum de Timaei opere ea opinio fuisset: ex compluribus id corporibus compositum fuisse, quorum unicuique seorsum sua librorum numerandorum ratio fuerit, his temporibus extitit vir acutissumus Iulius Beloch, qui in egregia commentatione inserta Fleckeiseni Annalibus vol. 123 (1881), p. 697 ostendit, unum illud Historiarum opus, integrum et continuum fuisse, librorum in universum fere XXXVIII. Nam hic libri alicuius numerus satis amplus a Suida s. v. ᾧ τὸ ἱερὸν πῦρ οὐκ ἔξεστι φυσῆσαι ad rem quandam ex Democharis demagogi aetate, qui circa annum 280 a. Chr. obiit, adfertur. Timaeus in universum ingentem rerum a se narratarum copiam ad temporum ordinem satis accurate disposuerat. Iam igitur cum certo et indubitato testimonio constet, libro eum X pugnam ad Helorum anni 492 a. Chr. enarrasse, id quod tradit Scholiasta ad Pind. Nem. IX, 95, p. 497 (= p. 276 ed. Abel): περὶ τούτου τοῦ πολέμου Τίμαιος ἐν τῇ δεκάτῃ δεδήλωκε, quaerendum nunc est, qui huic libro X terminus fuerit. Ac rectissume quidem Beloch l. s. p. 702, lin. 19 coniecisse videtur, aptissumum tali termino constituendo fuisse eius anni exitum, quo pugnae duae memoria dignissumae, Himerensis adversus Carthaginienses et Salaminia, fuissent. A pugna enim Salaminia tanquam ab fulgentissima quadam temporum meta Timaeum aliarum quoque rerum aetatem computare solere, velut Massiliae urbis origines apud [Scymnum Chium] Periegesis v. 211: ἐν τῇ Λιγυστικῇ δὲ ταύτην ἔκτισαν || πρὸ τῆς μάχης τῆς ἐν Σαλαμῖνι γενομένης || ἔτεσιν πρότερον, ὥς φασιν, ἑκατὸν εἴκοσιν. || Τίμαιος οὕτως ἱστορεῖ δὲ τὴν κτίσιν. Finiebatur igitur liber X in eis rebus enarrandis, quae statim post pugnam Salaminiam acciderunt; nam Himerense quidem proelium Timaeus non ut Herodotus VII, 166 ad eundem, quo pugna Salaminia, sed ad eum, quo apud Thermopylas pugnatum esset, diem rettulerat; Diod. XI, 24: συνέβη γὰρ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ τὸν Γέλωνα νικῆσαι καὶ τοὺς περὶ Θερμοπύλας μετὰ Λεωνίδου διαγωνίσασθαι πρὸς Ξέρξην. Quae cum ita sint, illa, quae Timaeum secutus Diodorus XI, 26 de rebus Siciliae tradit, finem libri X operis Timaei continuerint.

Hoc stabilito sequitur, ut Historiarum Timaei liber XI primum Gelonis annos extremos, deinde Hieronis undecim annorum, 478—467 (Diod. XI, 38 et 66 extr.), regnum comprehenderit. Ad libri huius XI finem accurate definiendum egregie usui est Diodori XI, 67 prolixior sane paullulum disputatio; conf. Beloch p. 702. Diodorus ibi rerum ab Gelone et Hierone gestarum summam quandam componit, de eorum moribus disserens et omnino amborum regnorum spatium tanquam otiosus perlustrans. Atqui constat, Timaeum libris suis prooemia praefigere solitum esse, quorum unum, ad sextum librum, Polybius

XII, 28 acri censura pertrinxit; conf. Belochium p. 697. Itaque nihil quidquam probabilius est, quam Diodorum, qui XI, 67 in medio libro disputationem illam prooemii simillimam inserat, eam totam Timaeo acceptam referre, qui satis luculento Historiarum loco, post Hieronis regis obitum, novi libri exordium instituisset. Ab eis igitur rebus, quae a Diodoro inde a libro XI cap. 67 narrantur, iam Timaei liber XII numerandus erit.

9. Demonstratur, *Timaeum initio libri XII* in describenda Thrasybuli nequitia illud quoque memorasse, quomodo ille Gelonis filium corrupisset.

Haec omnia satis probabiliter a Belochio excogitata sunt. Sed felici fortuna evenit, ut scripto etiam testimonio ea, quae ratiocinando reperta sunt, confirmare et ut eadem opera loco cuidam scholiorum Pindari ad hunc diem plane desperato lucem adferre possimus. Hoc tale est. Thrasybuli, Hieronis fratrum natu minumi, perbreve unius anni regnum, quod a Diodoro XI, 67. 68 enarratum est, Timaeus haud dubie in libro XII posuerat, quoniam haec narratio post illud, de quo diximus, prooemium continuo sequitur. Iam in Thrasybuli, hominis impurissimi, ingenio illustrando Timaeus facere non potuit, quin illam quoque rem, in qua maxume astutia hominis cum nequitia coniuncta apparet, memoraret. Gelo ex hac vita decedens filiolum reliquerat, legitimum, si ad annos suos pervenisset, regni heredem. Eum Thrasybulus luxuriae illecebris et pessimis artibus corrumpendum suscepit, quod inceptum, ut assolet, nimis profecto commodum eventum habuit. Affert rem exempli eversarum suis artibus tyrannidum loco Aristoteles Pol. V, 10, p. 1312, b, 13: Θρασυβούλου τοῦ Ἱέρωνος ἀδελφοῦ τὸν υἱὸν τοῦ Γέλωνος δημαγωγοῦντος καὶ πρὸς ἡδονὰς ὁρμῶντος, ἵν' αὐτὸς ἄρχῃ. In hac igitur Thrasybuli nequitia describenda Timaeus ad rerum conexum illustrandum Gelonis testamentum quale fuisset, exposuerat. Tutelam igitur filii primo loco ad Polyzelum, deinde si quid Polyzelo humanitus accidisset, post eum ad Chromium et Aristonoum, sororum Gelonis maritos, homines probissumos, detulerat. Certiores de hac re nos reddit Schol. Pind. Nem. IX, 95, p. 497 (= p. 277 ed. Abel): ὅτι δὲ καὶ ὁ Γέλων τῷ Χρομίῳ ἐχρῆτο ἑταίρῳ, δῆλον πάλιν ἐξ ὧν φησι Τίμαιος ἐν τῇ δευτέρᾳ γράφων οὕτως. Ἐπιτρόπους δὲ τοῦ παιδὸς μετ' ἐκεῖνον (i. e. Polyzelum, conf. Boeckh, Explicatt. p. 118 med. et Leutsch in Philologo vol. 14, 1859, p. 49, not. 15) κατέστησεν Ἀριστόνουν καὶ Χρόμιον τοὺς κηδεστάς· τούτοις γὰρ ὁ Γέλων δέδωκε τὰς ἀδελφάς. Thrasybulus igitur cum tot tutores animum iuvenilem custodirent, tamen suis artibus accessum invenit et infelicem pupillum luxuria et vitiis inquinavit. De hoc Thrasybuli flagitio Timaeus libri XII initio exposuerat.

10. Locum conclamatum in Scholiis Pindaricis Nem. IX, 95, ubi e Timaei *libro secundo* de Gelonis testamento traditur, facillime emendari si pro Β scribatur ΙΒ.

Quae si probabiliter disputavimus, ultro iam se offert emendatio in illo numero

libri operis Timaeani, quem Scholiasta Pind. Nem. IX, 95, p. 497 aperte corruptum affert. Timaeus ibi dicitur de testamento Gelonis libro secundo rettulisse; δῆλον πάλιν ἐξ ὧν φησι Τίμαιος ἐν τῇ δευτέρᾳ γράφων οὕτως. Hic numerus rectus esse non potest, nisi ad illam opinionem a Belochio feliciter confutatam redeundum sit, qua Timaei opus ex corporibus compluribus compositum olim credebatur. Verum hoc quidem esset in medio sole caecutire velle; conf. optime disserentem Holmium in Bursian, Jahresber. 1883, vol. XI, part. 3, p. 159. Quod Belochius conicit (p. 703, lin. 15 ab inf.), scribendum esse: ἐν τῇ δεκάτῃ probabile non videtur, quia narrationi de Gelonis testamento in libro X vix locus reperiri potest. Quamobrem pro numeri indicio Β malim ΙΒ, qua correctione facillima is liber restituitur, quem operis Timaei compositio postulat. Unum est, quod primo adspectu huic coniecturae adversari videatur: Thrasybuli tyrannidis historia si in librum XII reicitur, ab reliquorum Dinomenidarum rebus seiungitur. Verum hoc impedimentum facile removetur; nam ea fuit libri XII ratio, ut in priore eius parte Timaeus restitutam in plurimis Siciliae urbibus libertatem prosequeretur. Huius vero, ut ita dicam, dramatis praecipua quaedam pars eiecta et excussa Syracusanorum tyrannis fuit. Has de recuperata in compluribus urbibus libertate narrationes unam et continuam rerum seriem effecisse claris verbis Diodorus XI, 75 ex Timaeo suo indicat: αἱ μὲν οὖν κατὰ τὴν Σικελίαν ἐν ταῖς πόλεσι στάσεις καὶ ταραχαὶ τοῦτον τὸν τρόπον κατελύθησαν, αἱ δὲ πόλεις τὰς πατρίους πολιτείας ἀπολαβοῦσαι ἅπασαι τὰς ἰδίας χώρας κατεκληρούχησαν τοῖς πολίταις πᾶσιν.

11. In Scholiis Pindaricis Timaei saepe fragmenta praestantibus quibusdam narrationum minutiis agnosci.

Iam igitur pro demonstrato et certo haberi licebit, omnia quae de Hieronis rebus ex Timaei Historiis adferuntur, ex eius operis libro XI petita esse. In scholiis ad Pindarum plurima traduntur, quibus quamvis nomen Timaei adscriptum non sit, tamen is color narrationis est et tam grata aureolarum minutiarum copia, ut ex illo primario fonte ea hausta esse, veri simillimum sit. Talia sunt, quae de Anaxilae Locros Epizephyrios opprimendi conatu narrantur. Hiero Locrorum miseritus Chromium, sororis suae maritum, cum hoc mandato ad Anaxilam misit, ut Locros quam primum missos faceret; nec ausus est Anaxilas hoc imperium detrectare, Schol. Pind. Pyth. II, 34, p. 316: Ἀναξίλα . . . Λοκροῖς πολεμοῦντος Ἱέρων πέμψας Χρόμιον τὸν κηδεστὴν διηπείλησεν αὐτῷ, εἰ μὴ καταλύσαιτο τὸν πρὸς αὐτοὺς πόλεμον, αὐτὸν πρὸς τὸ Ῥήγιον στρατεύειν· οὗπερ δὴ πρὸς τὴν ἀπειλὴν ἐνδόντος ἐν εἰρήνῃ διῆγον οἱ Λοκροί. conf. Sch. Pind. Pyth. I, 98, p. 305. Diodorus XI, 48 de morte quidem Anaxilae, quae anno post, a. 476, evenit, tradidit, sed generosum illud Hieronis factum silentio transmisit. In eis quoque, quae de pugna apud Cumam in Pindari scholiis referuntur, exquisitae cuiusdam et reconditae doctrinae vestigia sunt, quae Timaei in his rebus diligentissimi scribendi genus sapiunt. E Diodoro XI, 51, qui verba eius legat, minume collegerit, proelio illi Cumaeo Hieronem interfuisse atque non navibus

tantum et mari, sed in terra quoque Graecorum et Etruscorum exercitus conflixisse. Scholiasta vero Pind. Pyth. I, 96, p. 305, Hieronem lectica vectum pugnae ei parti, quae in littore gesta esset, adfuisse significat: ἐπὶ τοῦ παρόντος τὸν Φιλοκτήτου τρόπον ὁ Ἱέρων μετερχόμενος ἐστρατεύθη καὶ τὴν μάχην ἐνίκησε. φορείῳ δὲ φερόμενος ὁ Ἱέρων διὰ τὴν λιθουρίαν κατηγωνίζετο τοὺς ἐναντίους. conf. Leutschium in Philologo XIV p. 51 not. 27. Hiero enim in classe Cumaeis auxilio mittenda non se continuit, sed longius progressus post illam victoriam in Prochytam insulam militarem coloniam custodiae caussa misit, quamquam terrae motibus et aliis miraculis deterriti coloni brevi tempore post domum redierunt. Haec quoque dubium non est quin Strabo V, p. 248 e Timaeo referat: ἔχει γὰρ τοιαύτας ἀποφορὰς ἡ νῆσος, ὑφ' ὧν καὶ οἱ πεμφθέντες παρὰ Ἱέρωνος τοῦ τυράννου τῶν Συρακοσίων ἐξέλιπον τὸ κατασκευασθὲν ὑφ' ἑαυτῶν τεῖχος καὶ τὴν νῆσον.

12. Recte censuisse Timaeum: ad Hieronis ingenium pernoscendum plurimum interesse nosse eam rationem, quae illi cum rebus divinis intercesserit.

Atque Timaeus de rebus quoque privatis Hieronis accuratius exposuerat, id potissimum spectans, ut posteritati liberi et incorrupti iudicii de moribus Hieronis copiam faceret. Talia compluria utilissimo nunc nobis studio Didymus in commentarios Pindaricos, — Ἐξήγησιν Πινδαρικὴν vocat Lactantius, Institution. div. I, 22 med., — receperat. Velut narrationem de tribus, quas Hiero deinceps inierat matrimoniis; Schol. Pind. Pyth. I, 112, p. 306: Δεινομένης δὲ υἱὸς Ἱέρωνος ἐκ τῆς Νικοκλέους τοῦ Συρακουσίου θυγατρὸς κατὰ Φίλιστον καὶ Τίμαιον· ἐκ γὰρ τῆς Ἀναξιλάου θυγατρὸς καὶ τῆς Θήρωνος ἀνεψιᾶς οὐκ ἐπαιδοποίησεν ὁ Ἱέρων προγήμας ταύτην. Sed unum erat, unde plurimum ad Hieronis ingenium et arcanos etiam animi impulsus aestimandos profici posse, rectissumo iudicio Timaeus confidebat. Est haec mirifica illa et peculiaris plane ratio, quae cum rerum divinarum cura Hieroni intercedebat, quem iam supra ostendimus e iure quodam in domo sua hereditario Cereris sanctissimo sacerdotio per vitae tempus instructum fuisse. Huic igitur rei illustrandae et rimandae, uti par fuit, exquisitam Timaeus operam navavit, eiusque diligentiae fructum hodieque capere licet. Extat Timaei testimonium apud Scholiastam Pind. Ol. VI, 158, p. 153: "σκάπτῳ" ... εἰπεῖν ... διὰ τὸν Ἱέρωνα, ἐπεὶ ἄνωθεν ἐκ προγόνων ἱεροφάντης ταῖν θεοῖν ἀποδέδεικται. τὰ προκείμενά φησιν ὁ [Δίδυμος] καὶ παρατίθεται τὰ Φιλίστου καὶ τὰ Τιμαίου.

13. Ad sacra in Hieronis familia domestica recte cognoscenda optimum instrumentum fuisse ista scrutari, quae ipsius eius familiae olim ore et fama tradita fuerint. Ita fecisse Timaeum.

Sed non acquievit in hac re Timaeus, ut Hieronem Chthoniarum numinum Hierophantam fuisse doceret, sed illud quoque, qualia illa sacra fuissent et unde in eorum possessionem Hieronis familia venisset, diligentius perquirere non omisit, aliquanto certe,

quam Herodotus, in hoc negotio veri inveniendi studiosior. Nam cum Herodotus dicat VII, 153: τοῦτο οὐκ ἔχω εἶπαι, Timaeus illud saltem officii sui duxit, ut quae in Hieronis olim familia de eorum sacrorum originibus tradita fuissent, exploraret et propagaret. Ea enim, quae in Scholiis Pindari de hac re traduntur, sane hunc colorem habent, ut ex domestica Dinomenidarum de originibus suis memoria desumpta videantur. Atque haec quanti facienda essent, Didymus recte agnoverat. Fama igitur in ipsa Hieronis domo propagata illa sacra Chthoniarum dearum haud diversa ab illis esse testabatur, quae in Triopio promunturio prope Cnidum colerentur. Refert Timaeus Schol. Pind. Pyth. II, 27, p. 314: [Ἱέρων] ταῖν θεοῖν ἱεροφάντης ἀπεδέδεικτο· Δεινομένους γὰρ υἱεῖς εἰσιν οἱ περὶ τὸν Ἱέρωνα τοῦ τὰ ἱερὰ ἐκ Τριόπου τῆς Καρίας εἰς Σικελίαν κομίσαντος.

Hoc testimonio id unum certe lucrati sumus, ut via nobis indicata sit, qua ad accuratiorem Hieronis sacrorum gentilicium notitiam pervenire possimus. Triopiorum sacrorum antiquitates excutiendae sunt. Haec via longinqua sane est et multis ambagibus torta, sed gratissumum hunc exitum pollicetur, fore, ut postremo clare intellegamus, quam Cereris religionum formam Gelo et Hiero cum sedem in urbe Syracusarum ponerent, Syracusas attulerint, et quemadmodum nova haec religio cum vetustiore Syracusana coaluerit. Atque haec sane duorum Cereris colendae generum conglutinatio admirabilem quandam, uti postea videbimus, et cognitu dignissumam speciem procreavit.

14. Quomodo evenerit, ut florentissimis rebus Graeciae Chthoniarum dearum ad Triopium sacra oblivione et silentio paene sepulta iacuerint.

Iam in Triopiorum sacrorum historia enarranda hoc unum inprimis mirum accidit, quod tempore rerum Graeciae florentium et litterarum ad cacumen suum evectarum de Chthoniarum dearum ad Triopium sacris per universum illum auctorum clarissumorum chorum altum propemodum silentium est. Primum Herodotus loco maxume conspicuo I, 144 unius Apollinis ibi ludos et cultum nosse videtur. In Apollinis honorem dies festos, quibus de tripodibus praemio propositis ab athletis certatum sit, actos esse: ἐν γὰρ τῷ ἀγῶνι τοῦ Τριοπίου Ἀπόλλωνος ἐτίθεσαν τὸ πάλαι τρίποδας χαλκέους τοῖς νικῶσι, καὶ τούτους χρῆν τοὺς λαμβάνοντας ἐκ τοῦ ἱεροῦ μὴ ἐκφέρειν, ἀλλ' αὐτοῦ ἀνατιθέναι τῷ θεῷ. Apollinis vero cultum a Doriensibus potissumum colonis, qui in has regiones e Peloponneso migrarunt, allatum esse, manifestum est; Cnidii enim sese Lacedaemoniorum (Herod. I, 174), Coi insulae, Nisyrae, Calydnae incolae Epidauriorum, Halicarnassenses Troezeniorum sese propaginem ferebant; Herod. VII, 99: τὸ ἔθνος ἀποφαίνω πᾶν ἐὸν Δωρικόν, Ἁλικαρνησέας μὲν Τροιζηνίους, τοὺς δὲ ἄλλους Ἐπιδαυρίους. Apollinis igitur Dorici cultum vetustiorum in ea regione religionum splendori obfuisse et sua illas luce ad ignobilitatem detrusisse, mirum non est.

Dionysius quoque Halicarnassensis nulla praeterquam Apollinis sacra ad Triopium memorat, IV, 25 extr.: ἱερὸν κατεσκεύασαν . . . Δωριεῖς . . . ἐπὶ Τριοπίῳ τὸ τοῦ Ἀπόλλωνος.

ἔνθα συνιόντες γυναιξὶν ὁμοῦ καὶ τέκνοις κατὰ τοὺς ἀποδειχθέντας χρόνους συνέθυόν τε καὶ συνεπανηγύριζον καὶ ἀγῶνας ἐπετέλουν ἱππικοὺς καὶ γυμνικοὺς καὶ τῶν περὶ μουσικὴν ἀκουσμάτων καὶ τοὺς θεοὺς ἀναθήμασι κοινοῖς ἐδωροῦντο. Pars rursus auctorum praeter Apollinem Neptunum quoque in numero numinum Triopiorum ponit una cum Nymphis; Schol. Theocr. XVII, 68: ἄγεται δὲ κοινῇ ὑπὸ τῶν Δωριέων ἀγὼν ἐν Τριόπῳ Νύμφαις Ἀπόλλωνι Ποσειδῶνι et paullo ante: Φιλαδέλφου ἐσπουδακότος περὶ . . . τὸν ἀγῶνα τὸν ἀγόμενον Ποσειδῶνι καὶ Νύμφαις; conf. O. Mueller, Proll. p. 163 et Dor. I², 404.

15. De pulcherrimo Augusti Couat invento, quo Callimachi Cereris hymnum in sollemnia ad Triopium re vera celebrata compositum esse ostendit.

Quamquam igitur si haec testimonia spectes, tanta Cereris ad Triopium sacrorum oblivio homines cepisse videtur, ut in Lethen paene eorum memoria mersa sit, tamen ex vergentis iam ad occasum Graecae antiquitatis aetate tam luculenta harum religionum documenta in promptu sunt, ut quin illae vixerint, floruerint, denique Doriensibus ipsis acceptissimae et cultissimae fuerint, dubitari neutiquam possit. Ac praestantissumum huius rei monumentum viro antiquitatum sacrarum apud veteres peritissimo et in toto hoc genere principi debetur, Callimacho, in pulcherrimo carmine: Cereris Hymno, de cuius in certam quandam temporum occasionem compositi consilio optime, magna hercle elegantia et probabilitate, disputavit Augustus Couat: Remarques sur la date et la composition des hymnes de Callimaque; Paris, 1879, p. 34. Ptolemaeus igitur Philadelphus bellum, cuius in monumentis litterarum memoria paene tota interiit, sed satis, ut videtur atrox et aleae plenum, gessit cum Syriae rege Antiocho θεῷ, de cuius cognominis origine Appianus dixit Syriaca 65. Hoc „alterum“ quod vocatur bellum Syriacum annorum propemodum decem fuit, 258—248 a. Chr. n. conf. Droysen, Epigonen I², 347. Armorum fortuna Aegyptiis maxume favit; Ptolemaeus rex Antiocho provincias pulcherrimas et fructuosissimas ademit in Asia minore. Earum terrarum nomina triumphanti voce Theocritus in carmine XVII, quod medio fere eius belli tempore compositum videtur (conf. Droysen l. s. p. 318), in Encomio in Ptolemaeum, enumerat v. 86: καὶ μὴν Φοινίκας ἀποτέμνεται Ἀρραβίας τε || καὶ Συρίας Λιβύας τε κελαινῶν τ' Αἰθιοπήων. || Παμφυλίοισί τε πᾶσι καὶ αἰχμηταῖς Κιλίκεσσι || σημαίνει, Λυκίοις τε φιλοπτολέμοισί τε Καρσί, || καὶ νάσοις Κυκλάδεσσι. Luculento igitur Theocriti testimonio constat, Cariam quoque felicissimo illo fortunis Aegyptiorum bello in dicionem Ptolemaei venisse. Neque in pacis deinde conditionibus Caria ab Ptolemaeo restituta est, cum Ciliciam et Ioniam dimitteret; id enim certo constat ex Monumento Adulitano, in quo omnium earum terrarum enumeratio proponitur, quas filius Philadelphi, Euergetes, a patre fato functo hereditarias acceperit; Corp. Inscr. Gr. III, no. 5127, p. 511, lin. 6: παραλαβὼν παρὰ τοῦ πατρὸς τὴν βασιλείαν Αἰγύπτου καὶ Λιβύης καὶ Συρίας καὶ Φοινίκης καὶ Κύπρου καὶ Λυκίας καὶ Καρίας; conf. Droysen, Epig. I², 348.

16. Philadelphum ut animos Dorum ad Triopium sibi conciliaret eorum sacra exornanda curasse. Hymnum anno 247 a. Chr. n. compositum videri.

His rebus consideratis admodum probabile est, Callimachi in Cererem hymnum mandatu Ptolemaei regis compositum esse ad sollemnitatem quandam, quae in honorem Cereris ad Triopium celebrata illis temporibus sit, exornandam. Nam, id quod rectissume Couat perspexit, Dorica hymni dialectus indicio est, Doriensibus carmen destinatum fuisse. Deinde Triopii et Cnidi mentio bis fit in carmine maxume honorifica, v. 24 et 30. Philadelphus vero magnopere in ea re sibi placuisse videtur, ut illius tractus hominibus, qui nuper ad regnum suum accessissent, eorum sacris colendis et exornandis gratum et dilectum se redderet. Apud Theocritum nympha Coi insulae puero Philadelpho hunc in modum praecipit, Theocr. XVII, 68: ἐν δὲ μιᾷ τιμῇ Τρίοπον κατθεῖο κολώναν, || [ἶσον Δωριέεσσι νέμων γέρας ἐγγὺς ἐοῦσιν,] || ἶσον καὶ Ῥήναιαν ἄναξ ἐφίλησεν Ἀπόλλων. Ubi haec adnotat scholiasta: ὡς τοῦ Φιλαδέλφου ἐσπουδακότος περὶ τὴν ἐν τῷ Τριόπῳ τῶν Δωριέων σύνοδον καὶ τὴν αὐτόθι δρωμένην πανήγυριν. conf. Couat l. s. p. 38. Annus denique, quo hoc carmen in Cererem Callimachus composuerit, satis accurate definiri potest. Philadelphus haud ita multum post pacem cum Antiocho θεῷ compositam mortuus est. In Canone Regum Philadelpho anni XXXVIII tribuuntur. Annus vero, qui Philadelphi postremus est, in aera Nabonassaris, quae initium capit a primo mensis Thoth die anni 747 a. Chr., numerum habet 501. Iam cum primus ille mensis Thoth anni 747 dies respondeat aerae Iulianae diei XXVI m. Februarii (conf. Ideler, Chronologie I, 98), sequitur, ut annus Aegyptius 501 ex Iulianae aerae die XXV m. Octobris anni 247 a. Chr. initium ceperit. Philadelpho annus 501 integer et plenus tribuitur, licet intra eius spatium mortuus sit. Itaque partem saltem eius superstes fuit. Vitam igitur produxit aliquanto post Octobrem anni 247; conf. Droysen, Epigonen I^2, 379. Iam cum verisimillimum sit, pacem, qua bellum Syriacum finitum est, anno 248 compositam esse, conf. Droysen ib. p. 347: efficitur, ut Callimachi hymnus aut in eundem, aut in sequentem annum referendus sit; conf. Couat p. 41. Hymnus igitur in Cererem Callimacheus luculento documento est, sacra Chthoniarum dearum ad Triopium minume intermortua fuisse, sed ab eius regionis hominibus religiose culta floruisse.

17. Sacra Chthoniarum dearum ad Triopium altero etiam p. Chr. saeculo florentissuma fama fuisse, ostendit *Triopium* ab Herode Attico ad tertium lapidem viae Appiae in Regillae honorem constitutum.

Praeter hoc Callimachi carmen aliud traditum est monumentum, cognitu dignissumum, quod ad historiam sacrorum Triopiorum illustrandam egregio usui est, ab illo superiore aetate sane longe remotum. Herodes Atticus anno 161 p. Chr. casu funesto adflictus uxorem summe dilectam, Anniam Regillam, acerba morte amisit. Auxit eius

luctum crimen foedissumum a Regillae fratre Bradua Herodi obiectum: Herodis mandatu unum e dilectis illi libertis, Alcimedontem, ob levem et nihili culpam Regillam verberibus castigasse atque, cum gravida esset, ictu infelici uterum eius ita percussisse, ut brevi post exanimaretur; Philostratus, Vitae Sophist. II, 8 (vol. II, p. 63 ed. Kayser, Lips. 1871): φόνου δίκη ὧδε ξυντεθεῖσα· κύειν μὲν αὐτῷ τὴν γυναῖκα Ῥήγιλλαν ὄγδοόν που μῆνα, τὸν δὲ Ἡρώδην οὐχ ὑπὲρ μεγάλων Ἀλκιμέδοντι ἀπελευθέρῳ προστάξαι τυπτῆσαι αὐτήν, πληγεῖσαν δὲ ἐς τὴν γαστέρα τὴν γυναῖκα ἀποθανεῖν ἐν ὠμῷ τῷ τόκῳ. Ἐπὶ τούτοις ὡς ἀληθέσι γράφεται αὐτὸν φόνου Βραδούας ὁ τῆς Ῥηγίλλης ἀδελφός. Herodes in iudicium capitis apud senatum vocatus crimen atrocissumum ab homine levi sine ullis argumentis prolatum facile diluit et pro absoluto dimissus est. Deinde, quantopere et quam vere uxorem sibi ereptam dilexisset, ingenti luctus apparatu ostendit, qua in re modum fere ita egressus est, ut iterum paene in suspicionem ficti tantummodo maeroris incideret; Philostr. l. s.: διεβάλλετο μὲν γὰρ καὶ ταῦτα ὡς πλάσμα, ἀλλ' ὅμως τἀληθὲς ἴσχυεν. Inter monumenta, quibus ingenti sumptu extruendis coniugis memoriam prosecutus est, praeter nobilissimum seu odeum (Paus. VII, 20, 6), seu theatrum (Philostr. l. s.) maxume eminet *Triopium*, quod prope Romam ad tertium viae Appiae miliarium uxoris dis Manibus Herodes dedicavit. Is fundus in universum Cereri et Proserpinae sacer constitutus est, quod in ipso ingressu duabus columnis cum hac inscriptione indicabatur, Corp. Inscr. Gr. I, no. 26, p. 44, b: καὶ οἱ κίονες Δήμητρος καὶ Κόρης ἀνάθημα καὶ χθονίων θεῶν. καὶ οὐδενὶ θεμιτὸν μετακινῆσαι ἐκ τοῦ Τριοπίου, ὅ ἐστιν ἐπὶ τοῦ τρίτου ἐν τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ ἐν τῷ Ἡρώδου ἀγρῷ. οὐ γὰρ λώιον τῷ κινήσαντι. μάρτυς δαίμων ἐνοδία.

18. Triopium Regillae quas iuris sacri leges habuerit. Faustina Maior Regillae apud inferos fautrix.

Duo praeterea tabulae marmoris Pentelici ibidem inventae sunt cum duobus carminibus elegantibus et satis amplis, quorum auctor Marcellum se vocat, quem Marcellum Sideten nonnulli eruditi (cf. Franz, Corp. Inscr. Gr. III, p. 925, a, extr.) esse suspicati sunt, non adstipulante Bernhardyo in Hist. litt. Gr. II, 2³ (1872), 749. In eis carminibus copiosius illius dedicationis universa ratio ab Herode exponitur. Praestantissima monumenta publicata et illustrata sunt a Franzio, Corp. Inscr. Gr. III, no. 6280 sq., p. 919. Fundus haud dubie satis opipare omni supellectili instructus fuit, qui δῆμος vocetur, tab. A, v. 4: τειμήσατε χῶρον, || δῆμον Δηώοιο φιλόξεινον Τριόπαο. Praeter Cererem et Proserpinam Minerva et Diana ut numina tutelaria ad haec loca colenda invocantur tab. A, 1—6; ab eis petit Herodes, ut ne dedignentur „Triopia" numina vocari A, v. 6: τόφρα κε καὶ Τριόπειαι ἐν ἀθανάτοις ἀλέγησθον. Deinde quos in eo fano Regilla ipsa honores habitura sit, exponitur; nam Regillae olim ei agri proprii fuerant, tab. B, 49: ἵνα οἱ πάρος εὐρέες ἀγροί, || καὶ χορὸς ἡμερίδων καὶ ἐλαιήεντες ἄρουραι. Locus igitur e iure sacro Heroum est Regillae, ad quod stata sacra fieri oporteret, neque deerat simulacrum heroinae; tab. B, 1: δεῦρ' ἴτε,

Θυβριάδες, νηὸν ποτὶ τόνδε, γυναῖκες, || Ῥηγίλλης ἕδος ἀμφὶ θυοσκόα ἱρὰ φέρουσαι; et paullo post de statua v. 5: θεαὶ δέ μιν Οὐρανιῶναι || τίουσιν Δηώ τε νέη (i. e. Faustina maior, quae obiit anno 141 p. Chr.) Δηώ τε παλαιή, || τῇσί περ ἱερὸν εἶδος ἐϋζώνοιο γυναικὸς || ἄγκειται. Perpulchra deinde sunt, quae de Regillae post mortem vita et statu immortali in carmine dicuntur. Pia umbra in campos Elysios, sub mite Saturni regnum, transvecta est, v. 8: αὐτὴ δὲ μεθ' ἡρῴνῃσι νένασται || ἐν μακάρων νήσοισιν, ἵνα Κρόνος ἐμβασιλεύει. Atque ibi iam commoratur et gubernat Caesaris diva mater Faustina, quae ubi Regillam choro ceterarum semidearum modeste sese admiscentem conspexerit, placide et benigne eam acceptura est; v. 55: οὐδέ μιν ἡρῴνῃσι παλαιῇσιν μεδέουσα || Καίσαρος ἰφθίμοιο παρόψεται ὄμπνια μήτηρ || ἐς χορὸν ἐρχομένην προτεράων ἡμιθεάων, || ᾗ λάχεν Ἠλυσίῃσι χοροστασίῃσιν ἀνάσσειν. ||

19. Nomen *Triopii* rem duplicem significare: et Cereris sacrarium et eximium, si quis id fanum violarit, supplicium. Quid sit Τριόπειος Ἐριννύς.

Iam quaeri oportet, qua caussa commotus et quid spectans illud fanum "Triopium" Herodes vocaverit. Ac potissuma haud dubie ratio ea fuit, quod numina Triopia, Cererem et Proserpiam, ut tutelaria in haec loca invitarat, quodque in earum nunc custodiam Regillam traditam esse, significare voluit. Altera vero nominis Triopii caussa ea, opinor, fuit, quod Triopae supplicio, quale in fabulis narrabatur, a fano illo et sacris sedibus violandis maleficos deterritum iri confidebat. Nam fuit fabularum forma quaedam, in qua atrox illud Cereris sacrarii violati crimen, quod plerumque cum Erysichthonis, Triopae filii, memoria coniunctum traditur, ad ipsum Triopam transferebatur; velut apud Hyginum, Astronom. II, 14, p. 50 ed. Bunte (Lips. 1875): *Nonnulli etiam Triopan Thessalorum regem dixerunt esse; qui cum suum domicilium tegere conaretur, Cereris ab antiquis collatum diruit templum. pro quo facto a Cerere fame obiecta nunquam postea frugibus ullis saturari potuisse existimatur.* Diodorus V, 61: Τριόπαν . . . τὸ τέμενος τῆς Δήμητρος ἐκκόψαντα τῇ ὕλῃ καταχρήσασθαι πρὸς βασιλείων κατασκευήν. In Herodis igitur inscriptionibus proposito Triopae supplicio malefici admonentur: *caveant ultionem "Triopeam"*; tab. A, 36: οὐδὲ γὰρ ἴφθιμον Τριόπεω μένος Αἰολίδαο || ὤναθ', ὅτε νηὸν Δημήτερος ἐξαλάπαξεν. || τῷ ἤτοι ποινὴν καὶ ἐπωνυμίην ἀλέασθαι || χώρου, μή τοι ἕπηται ἔπι Τριόπειος Ἐριννύς. Itaque ex hoc quoque praestantissumo coniugis coniugem pie lugentis monumento sacra illa Chthoniarum ad Triopium dearum viva et alta voce ad nos loquuntur et sinistrum illud Herodoti aliorumque aureae aetatis scriptorum silentium casui potius, quam consilio tribui oportere arguunt.

20. De duplici Triopae natura, qua et Cereris sacrorum spoliator et cultor dicitur. Item de fabularum Triopae familia Thessalica.

Iam vero firmata sacrorum illorum memoria eorumque historia per saeculorum decursum adumbrata, nunc paullo iam tutius ad eorum vim omnino et naturam definien-

dam accedere licebit. Atqui confitendum est, statim in limine difficillimam nos quaestionem expectare, quam, antequam ad penetralia progrediamur, aliqua ratione solvere nos oportet. Caput huius difficultatis haud dubie est *Triopae* herois anceps et quasi vorsipellis natura, qua ille modo est Cereris acerrimus adversarius et fani eius spoliator; modo deae quasi propugnator et studiosissumus cultor, qui sacerdotis munere fungens sacra ei et cultum instituat. Haec tam mirifica repugnantia ex Herodis iam illis carminibus clare elucet, in quibus modo sensu bono et fausto "Δηῶος" vocetur, tab. A, 5: δῆμον Δηώοιο φιλόξεινον Τριόπαο, modo ib. v. 37 sacrilegus atroci poena coercitus. Hoc paradoxon ut iusta ratione solvamus, primum fabularum nunc de Triopa omnis silva paullo accuratius examinanda erit. Ac vetustissima quidem mythorum Triopae patria *Dotius* haud dubie *campus* in Thessalia fuit ad Boebeïdem lacum et Ossae montis radices porrectus, Strab. IX, p. 442: ἐν τῷ Δωτίῳ πεδίῳ, τοῦτο δ' ἐστὶ πλησίον τῆς ἄρτι λεχθείσης Περραιβίας καὶ τῆς Ὄσσης καὶ ἔτι τῆς Βοιβηΐδος λίμνης. Ibi Triopam habitasse consentiunt Callimachus, hymn. Cer. 24, Ovidius Met. VIII, 742, Hygin. Astr. II, 14. Ac fabularum de Triopa familiae, ut ita dicam, Thessalicae hoc proprium est, ut in eis aut ipse Triopas, aut filius eius Erysichthon atroci piaculo Cereris lucum violet, venerandae vetustatis arbore, quae vel ad regiam, vel ad coenaculum etiam extruendum idonea homini visa esset, securi percussa. Exclamat Erysichthon, in sacrilegium illud vesanum in modum intentus, apud Callimachum hymn. Cer. 54: ταῦτα δ' ἐμὸν θησεῖ στεγανὸν δόμον, ᾧ ἔνι δαῖτας || αἰὲν ἐμοῖς ἑτάροισιν ἅδην θυμαρέας ἀξῶ. Addendum est, in Thessalicis fabulis Triopam plerumque Neptuni et Canacae, Aeoli filiae, filium perhiberi; conf. Callim. l. s. v. 99 et Apollod. Bibl. 1, 7, 4, 2. Aliae rursus eiusdem regionis fabulae mortalem ei patrem tribuunt; Diod. V, 61: οἱ δὲ (υἱὸν ἀναγράφουσι) Λαπίθου τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ Στίλβης τῆς Πηνείου.

21. In fabulis Argivis Triopas non hostili erga Cererem animo est, sed Pelasgi et Messenae, religionum Cereris propagatorum, parens.

Praeter Dotium campum ut vetustissima quaedam mythorum Triopae patria Argolis nominanda est. Atque Argis quidem Triopas haudquaquam hostili erga Cererem animo perhibetur, immo cum piis studiosisque eius cultoribus arcte coniunctus reperitur. Triopas Argis inter priscos reges comparet eius aetatis, qua Pelasgi terram incoluisse tradebantur. Luculentum extat veteris anagraphae fragmentum apud Pausaniam, in quo Triopas Phorbantis filius, Iasi et Agenoris pater audit. Paus. II, 16, 1: Ἄργος δὲ Φορωνέως θυγατριδοῦς, βασιλεύσας μετὰ Φορωνέα, ὠνόμασεν ἀφ' αὑτοῦ τὴν χώραν. Ἄργου δὲ Πείρασος γίνεται καὶ Φόρβας, Φόρβαντος δὲ Τριόπας, Τριόπα δὲ Ἴασος καὶ Ἀγήνωρ. Eundem ordinem habes apud Eusebium vol. II, p. 23 et 25 ed. Schoene et apud Syncellum II, p. 289 ed. Dind. Argis vero inter heroes Cereri plane deditos et ipsi deae gratos Triopam fuisse omnia docent. Velut Triopae filius Pelasgus Cereris Pelasgidis cognominatae aedem et sacra instituisse ferebatur; Paus. II, 22, 1: Δήμητρός ἐστι ἱερὸν ἐπίκλησιν Πελασγίδος ἀπὸ

τοῦ ἱδρυσαμένου Πελασγοῦ τοῦ Τριόπα, καὶ οὐ πόρρω τοῦ ἱεροῦ τάφος Πελασγοῦ. Eodem pertinet quod Triopae filia Messene Polycaoni, Lelegis regis filio, nupsisse dicitur, qui eis nuptiis adiutus et fretus illius terrae regnum adeptus est, quam postea ab uxore Messeniam appellavit, cum urbe regum sede Andania; Paus. IV, 1, 1: Πολυκάων . . . Μεσσήνην τὴν Τριόπα τοῦ Φόρβαντος ἔλαβε γυναῖκα ἐξ Ἄργους. φρονοῦσα δὲ ἡ Μεσσήνη διὰ τὸν πατέρα ἀξιώματι καὶ δυνάμει τῶν τότε προέχοντα Ἑλλήνων οὐκ ἠξίου τὸν ἄνδρα ἰδιωτεύειν. Assumptis igitur Argivorum auxiliis ditissima Peloponnesi parte potitus est; Paus. l. s.: ἀθροίσαντες δὲ ἔκ τε Ἄργους δύναμιν καὶ ἐκ Λακεδαίμονος ἀφίκοντο ἐς ταύτην τὴν χώραν, καὶ συμπάσῃ μὲν ἐτέθη τῇ γῇ Μεσσήνῃ τὸ ὄνομα ἀπὸ τῆς Πολυκάονος γυναικός . . . ἔνθα τὰ βασίλεια κατεσκευάσθη σφίσιν, Ἀνδανία. Antiquissima igitur de Cereris sacrorum apud Andanienses originibus narratio sine dubio ea fuit, qua ex Argolide atque ex Triopae potissumum domo sanctissimum illud mysteriorum donum repetebatur. Nam quod Cauco Messenam, Triopae filiam, illis sacris initiasse dicitur, id posterius demum excogitatum est; Paus. IV, 2, 6: ἐς τὴν Ἀνδανίαν, ὅτι καὶ τὴν Μεσσήνην ὁ Καύκων ἐμύησεν ἐνταῦθα. Eadem ratione Asinaei in Messenia (Curt. Peloponnes II, 167) religiosissume illam memoriam coluerunt: sua Chthoniorum numinum sacra se Hermionensibus in Argolide accepta referre. Huius sacrorum communionis pulcherrimum documentum praebet inscriptio plebiscitum Hermionensium continens, quo populus Hermionensium gratissimam sibi antiqui illius sacrorum vinculi et foederis cum Asinaeis instaurationem evenire profitetur; Corp. Inscr. Gr. I, no 1193, p. 593: ἁ πόλις τῶν Ἑρμιονέων ἀνανεοῦταί τε τὰν συγγένειαν καὶ φιλίαν τὰν ὑπάρχουσαν τᾷ πόλει πότταν πόλιν τῶν Ἀσιναίων . . . καὶ . . . ἀποδέχεται ἁ πόλις φιλοφρόνως τάν τε θυσίαν, ἃν μέλλει ἄγειν ἁ πόλις τῶν Ἀσιναίων τᾷ Δάματρι τᾷ Χθονίᾳ. conf. Preller, Demeter und Pers. p. 181 not. 34.

22. Apud Rhodienses quid de septem fratrum Heliadarum, quorum unus fuit Triopas, fatis traditum fuerit.

Sed iam transeundum est ad eas de Triopa fabulas, quae in Chersoneso Cnidia ad promunturium Triopium et in vicinis insulis propagabantur, ubi Triopas Cereris sacra primus instituisse et homines docuisse perhibebatur. In his igitur regionibus Triopas unus est e fratribus septem Heliadis Rhodiensibus. Narrabant enim fabulae Rhodiae, Solem deum cum Rhodo nympha septem filios, Heliadas, qui vocantur, genuisse; Diod. V, 56 εἶναι δὲ τοὺς ἑπτὰ υἱοὺς Ὄχιμον, Κέρκαφον, Μάκαρα, Ἀκτῖνα, Τενάγην, Τριόπαν, Κάνδαλον; conf. Schol. Pind. Ol. VII, 131, p. 177 et v. 132 et 135, p. 178. Eorum fratrum unum, Tenagam, propter eximiam pulchritudinem reliquorum fere omnium invidiam excitasse eum in modum, ut coniuratione facta, praeter Ochimum et Cercaphum, quorum a tali facinore animus abhorruerit, fratrem interimere ausi sint; Diodor. V, 57: εὐφυέστατος γενόμενος Τενάγης ὑπὸ τῶν ἀδελφῶν διὰ φθόνον ἀνῃρέθη. Iam igitur tanto scelere admisso magna in insula Rhodo rerum conversio secuta est. Ochimus quidem et Cercaphus, illa

culpa expertes, Rhodi remanserunt, miti sceptro insulae imperantes. Extat venusta historiola, qua quo artifico Cercaphus Cydippa, Ochimi fratris filia, quam pater alii cuidam e Rhodiensium nobilitate iam despondisset, tamen potitus sit, narratur. Tradit rem Plutarchus, Quaest. Gr. 27; videtur autem narratio, qua αἴτιον quoddam Rhodium explicatur, Callimachum sapere. Cum apud Rhodienses mos esset, ut sponsae in domum futuri coniugis a praecone publico deducerentur, Cercaphus magnis donis praeconi persuasit, ut, nescio patre, Cydippam non ad Ocridionem, id enim nomen sponso erat, sed ad se deduceret. Plut. l. s. Κέρκαφος δὲ ἀδελφὸς ὢν Ὀχίμου τῆς δὲ παιδὸς ἐρῶν ἔπεισε τὸν κήρυκα (διὰ κηρύκων γὰρ ἔθος ἦν τὸ μετέρχεσθαι τὰς νύμφας), ὅταν παραλάβῃ τὴν Κυδίππην, πρὸς ἑαυτὸν ἀγαγεῖν. Id cum ex opinione factum esset, Cercaphus cum Cydippa effugit et longe demum post, Ochimi senis ira placata, domum rediit fratrique suo eidemque socero in regno successit. Mansit inde apud Rhodienses hic mos: ne in Ocridionis heroum unquam praeco intraret; Plutarch l. s.: ἔθος κατέστη κήρυκα μὴ προσιέναι τῷ τοῦ Ὀκριδίωνος ἡρῴῳ, διὰ τὴν γενομένην ἀδικίαν. Cercaphi vero tam acceptum Rhodiis et gratum imperium fuit, ut ab eo "Cercaphidas" se vocari vellent; velut in Apollonidae epigrammate, Anth. Pal. IX, 287: ὁ πρὶν ἐγὼ Ῥοδίοισιν ἀνέμβατος ἱερὸς ὄρνις, || ὁ πρὶν Κερκαφίδαις αἰετὸς ἱστορίη, || ὑψιπετὴ τότε ταρσὸν ἀνὰ πλατὺν ἠέρ' ἀερθεὶς || ἤλυθον, Ἠελίου νῆσον ὅτ' εἶχε Νέρων. Cum igitur Ochimo et Cercapho tam mitia fata obtingerent, reliquis quattuor fratribus scelere contaminatis ex insula fugiendum erat. Ac Triopas quidem primum ad regem Melisseum eximiae pietatis laude florentem se contulit ibique expiatus est; Diod. V, 61 Melisseum in Chersoneso Cnidia regnasse tradit: Τριόπαν . . . φεύγοντα διὰ τὸν Τενάγεω τοῦ ἀδελφοῦ φόνον εἰς τὴν Χερρόνησον ἀφικέσθαι. ἐνταῦθα δὲ καθαρθέντα τοῦ φόνου ὑπὸ Μελισσέως τοῦ βασιλέως εἰς τὴν Θεσσαλίαν πλεῦσαι. Lactantius, Inst. div. I, 22 med. Melisseum regem Cretensem fuisse e Didymo ad Pindarum in locum, opinor, Pyth. IV, 60, tradit: *Didymus . . . ait, Melissea Cretensium regem primum dis sacrificasse ac ritus novos sacrorumque pompas instituisse.*

23. In Chersoneso Cnidia varias variorum colonorum de Triopa fabulas confluxisse.

Sed nunc posteaquam per varias terras Triopearum fabularum reliquias percensuimus, ad eas regiones nos convertamus, in quibus altissumas memoria et cultus Triopae radices egit, ad Chersonesum Cnidiam et ad promunturium, cuius eponymus Triopas fuit, Triopium. Ibi pro coloniae, quae prima in eas barbarorum regiones a Graecis deducta esset, auctore Triopas colebatur. Atque quantopere ipsius Cnidi quoque urbis cives ut suum auctorem et conditorem (κτιστήν) Triopam venerati sint, ex pulcherrimo donario elucet, quod deo Delphico consecrarunt, quodque complurium statuarum consociatione continebatur; Paus. X, 11, 1: Κνίδιοι ἐκόμισαν ἀγάλματα ἐς Δελφοὺς Τριόπαν οἰκιστὴν τῆς Κνίδου παρεστῶτα ἵππῳ καὶ Λητὼ καὶ Ἀπόλλωνά τε καὶ Ἄρτεμιν. Ipsa urbs Cnidus Triopion vocabatur; Hesych. s. v. Τριόπιον· ἡ Κνίδος, καὶ ἱερὸν ἔνθα ἑορτάζουσιν. Stephan. Byz. s. v. Τριόπιον πόλις Καρίας, ἀπὸ Τριόπου τοῦ πατρὸς Ἐρυσίχθονος. Thucydides

VIII, 35 de Triopio promunturio: ἔστι δὲ τὸ Τριόπιον ἄκρα τῆς Κνιδίας προύχουσα, Ἀπόλλωνος ἱερόν.

Huic igitur fabularum Triopicarum familiae una res maxume propria est: quum in ea regione et diversorum populorum agmina et una cum eis narrationes quoque de Triopa diversae confluxissent, hoc ibi maxume studium excultum videmus, ut artificosa quadam fingendi ratione, quantum fieri posset, repugnantiae et discrepantiae omnes contegerentur et inter se conciliarentur. Earum vero diversitatum nunc ratio paullulum consideranda est. Antiquissumis temporibus coloni haud dubie e Thessalia profecti in Chersoneso ad Triopium consederant, quorum dux Triopas praedicabatur. Luculentus testis est Dieuchidas apud Athenaeum, ubi de "Araearum" insularum (Ἀραιαὶ νῆσοι) nominis origine exponitur; Athen. VI, 262[e], cf. Fragm. Hist. Gr. ed. Muell. IV, 389: . . . τὰς καλουμένας φησὶν Ἀραιὰς (μεταξὺ δὲ τῆς Κνίδου καὶ τῆς Σύμης εἰσὶ), γενομένης διαφορᾶς τοῖς συνεξορμήσασι τῷ Τριόπᾳ μετὰ τὸν ἐκείνου θάνατον, καὶ τῶν μὲν εἰς τὸ Δώτιον ἀναχωρησάντων, οἱ μὲν μετὰ Φόρβαντος μείναντες εἰς Ἰηλυσὸν ἦλθον, οἱ δὲ μετὰ Περιέργου τὴν Καμειρίδα κατέσχον. τότε λέγεται καταράσασθαι τὸν Περίεργον τῷ Φόρβαντι... Praeter hanc, quae duce Triopa e Dotio campo ad Triopium adpulerat, coloniam Dorienses quoque eo venerant, eique ex Rhodo potius insula Triopae origines repetebant. Rhodiensium vero Triopas Heliades est, Solis et Rhodi nymphae filius.

Ad hanc igitur originum Triopae diversitatem, quae in Chersoneso Cnidia antiquissimis haud dubie temporibus tradebatur, alia quaedam haud, hercle, minor accedebat. In fabulis Thessalicis Triopas prisca austeritate ferox et insolens est erga deam mitissimam, sacrosancti eius luci arboribus caesis spoliator. Cnidi vero idem Cereri in deliciis est, quippe quae ut sacra sibi condat et sacerdos sibi fiat, concedat et adnuat; conf. de hac in Triopae fabulis repugnantia optime disserentem Boeckhium, Corp. Inscr. Graec. I, p. 45[b].

24. Chersonesi Cnidiae incolas, ut fabularum de Triopa diversitates componerent, vitae cursum Triopae adfinxisse multis casibus turbatum. Qua de re refert Diodorus V, 61.

Ad has igitur diversitates conciliandas Cnidii artificiosiorem quandam de fatis Triopae narrationem commenti sunt, cuius brevem summam Diodorus nobis servavit. Eius narrationis universum consilium eo spectat, ut quae tam varie de Triopae rebus et ingenio tradita essent, mira fatorum, quae ei in vita accidissent, varietate explicarentur. Tradit igitur Diodorus V, 61 (cf. ib. cap. 57 med.), Triopam, Solis et Rhodi nymphae filium, posteaquam a culpa fratris Tenagae caede contracta ab Melisseo, Cnidi rege, purgatus sit, in Thessaliam emigrasse, ut Deucalionis filiis adversus Pelasgos hostiliter ingruentes auxilium ferret. Ibi, cum in parte Dotii campi regnum nactus esset, eum in luco Cereris ad aedes sibi regias extruendas scelere occaecatum arbores religione consecratas cecidisse. Diod. V, 61: καθαρθέντα τοῦ φόνου εἰς τὴν Θετταλίαν πλεῦσαι ἐπὶ συμμαχίαν τοῖς Δευκαλίωνος

παισί . . . καὶ μερίσασθαι τὸ καλούμενον Δώτιον πεδίον. ἐνταῦθα δὲ τὸ τέμενος τῆς Δήμητρος ἐκκόψαντα τῇ ὕλῃ καταχρήσασθαι πρὸς βασιλείων κατασκευήν. Propter hoc scelus eum terrae illius incolis invisum factum esse adeo, ut relicta Thessalia cum suorum agmine novam patriam petere coactus sit. Atque Cnidum, ubi iam superiore tempore se sanatum recordaretur, nunc quoque Triopam elegisse, in qua cum colonis suis sedes poneret et ubi, quod in hoc fabularum nexu gravissumum est, Cereris numen violatum placaret; Diodor. V, 61: δι' ἣν αἰτίαν ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων μισηθέντα φυγεῖν ἐκ Θετταλίας καὶ καταπλεῦσαι μετὰ τῶν συμπλευσάντων λαῶν εἰς τὴν Κνιδίαν, ἐν ᾗ κτίσαι τὸ καλούμενον ἀπ' αὐτοῦ Τριόπιον. cf. Boeckhium ad Pindari scholia p. 314.

25. Sitne vera eruditorum nonnullorum opinio, promunturium "Τριόπιον" esse: "περίβλεπτον", et Triopam loci heroem eponymum esse.

His igitur fabularum ambagibus antiqui illi Triopae cultores ea, quae in huius herois rebus et ingenio minus concinerent, conciliare et componere ausi sunt. Sed haec, qua veteres homines discrepantias illas solvere studuerunt, ratio nostrae nunc curiositati satisfacere minume potest; immo eo iam deducta est quaestio nostra, ut nullo modo hanc operam declinare possimus, qua, qui sit mythorum de Triopa sensus reconditior, definire periclitemur. Qua in re una huius nodi solvendi ratio statim a limine removenda videtur. Fuerunt iam antiquis temporibus critici nonnulli volgo acutiores, qui rem speciosissume et simplicissume expediri posse hunc in modum arbitrarentur. Promunturium illud Chersonesi Cnidii longo tractu in mare apertum porrectum, ab ipso situ, ut multa ubique promunturia, nomen accepisse. Quoniam igitur et conspicuum undique fuerit, et liberum in omnes partes conspectum admiserit, Τριόπιον ex re vocatum esse, i. e. περίβλεπτον. Ita quidem rem definit grammaticus apud Schol. Theocr. XVII, 68, p. 422, not. 2, ed. Ahrens: τρίοπον λέγει ἤγουν περίβλεπτον. Reliqua inde iam sua sponte se offerunt: "Triopii" illius montis heros eponymus Triops seu Triopas fictus est, quem ut Cnidi et sacrorum Cereris conditorem eius regionis incolae venerati sint.

Haec explicatio, quae primo adspectu admodum facilis et blanda videtur, defensorem hac nostra aetate nacta est virum egregium, cuius in mythologia Graecorum enodanda merito summa auctoritas apud omnes putatur, Henricum Ditericum Mueller: Mythologie der Griech. Stämme, I (Gottingae, 1857) p. 24. Is vir praestantissumus ita sibi persusit: posteaquam ita in Chersoneso Cnidia ortum fuerit Triopae nomen et universa species, fieri non potuisse, quin fabula de Triopa in Thessaliam quoque, unde coloni Chersonesum Cnidiam incolentes originem duxerint et quacum mutuo semper commercio coniuncti fuerint, transferretur. Muellero igitur fatorum Triopae apud Cnidios narratio luculentum exemplum est eius in fabulis fingendis consuetudinis, qua coloni in peregrinas et longinquas terras e patria egressi, post temporis spatium praeterlapsum, heroes vel heroinas in novis sedibus ortos, patriae priscae per aliquam "prolepsin" attribuerint;

cf. Muellerum l. s. p. 27 init. et p. 34 init. Sed licet haec acute excogitata sint, unum potissumum est, quod quominus H. D. Muellero adstipulemur, vetat. Fabulae de Triopa eiusque cultus nunquam tantam auctoritatem apud diiunctissimarum terrarum populos nancisci potuissent. nisi eius herois imaginem iam ab incunabulis secum ex antiqua patria in novam illi attulissent. Accedit quod in Thessalia potissumum Triopae fabula prisca quadam et horrida austeritate praedita est. Itaque alia iam via circumspicienda erit, qua Triopae vim et naturam explicemus.

26. Triopae naturam vere Cerealem in ipso nomine adparere, quod similiter atque Triptolemus significet heroem, qui tribus arationibus, in antiqua argricultura sollemnibus, praesit.

Ac fundamentum quidem huius quaestionis hoc sine dubio esse oportet: Triopas heros est Cerealis, Cereris alumnus et minister, cui dea ipsa sacra sua instituenda et cum hominibus communicanda committit. Id si recte teneamus, non longe profecto repetenda erit huius herois accuratior explicatio, cuius iam ipsum nomen *Triopae* satis clare eloquatur, quae inter ipsum et Cererem deam ratio intercedat, modo reputemus, quid Τριπτόλεμος, quid apud Pheneatas Arcadiae (Paus. VIII, 15, 4) Τρισαύλης sibi velint. Per universam antiquitatem, Graecam et Romanam, notissima et scriptoribus rerum rusticarum celebratissima est *ter repetita aratio.* Νειὸν τρίπολον (Od. ε, 127), in qua Ceres congreditur cum Iasione, Scholiasta interpretatur: τρίτον ἐστραμμένην. Palladius de re rust. X, 1: *Septembri mense ager pinguis et qui diu tenere consuevit humorem, tertia vice arabitur, quamvis humido anno possit et antea tertiari.* De hoc agriculturae antiquae usu egregie exposuit vir de historia et antiquitatibus rerum rusticarum apud Graecos optime meritus Albertus Thaer in Leutschii Philologo, vol. 29 (1870), p. 591. Itaque nondum permoveor eorum eruditorum dubiationibus, qui Triptolemi nomen non ab agro ter arando, sed ad similitudinem nominum militare studium spirantium, quae in deliciis Graecis sane fuerunt, Neoptolemus, Amphiptolemus alia, fictum arbitrantur, qua de re exposuit Plew ad Prelleri Mythol. Graec. I[3], 634, not. 3. Triopas igitur ipse quoque tertiam illam arationem veteribus sollemnem et Cereri dilectam (Od. ε, 127) significat. In antiquissima enim lingua Graeca radicem extitisse $\sqrt{}$ὀπ, quae latino *opus*, *operari* responderet, dudum est cum docuit Georgius Curtius, Studien zur Griech. und Lat. Gramm. I, 1, 261 et Griechische Etymol.[3] p. 259, comparatis eiusdem familiae compluribus vocabulis: Πηνελόπεια, Δρύοψ, Πανοπεύς, Ἐπειός, φύλοπις, ὀπυίω, quibus omnibus *creandi*, *operis faciundi*, *gignendi* significatio inest.

Hoc concesso facile illud quoque intellegi poterit, cur cum Triopa tam coniunctus sit Erysichthon, ut aut Triopas pater Erysichthonis dicatur, aut ipsi etiam Triopae facinus illud luci Cereris violati tribuatur. Erysichthon aratorem significat, qui terram proscindit nondum mitigata et placata Cerere. Fuit tempus, quo prisca Pelasgorum gens non sine sancto quodam horrore terram, mitissumum numen, aratro sulcabat. Hominibus simpli-

cibus nefas videbatur, in almae matris corpus ferrum immittere. Iam ecce apparuit Cereris religio. Ceres ipsa, modo rite preces ei funderentur, placata et benevola arandi hominibus copiam fecit omnemque ab eo negotio culpam removit. In Erysichthone et Triopa duo gradus progredientis ad veram humanitatem generis humani cernuntur. Homo quamdiu nulla religionis notione imbutus terrae corpus vexabat, spoliator, raptor, sacrilegus, denique Erysichthonis similis videbatur. Secuta est pulchrior Triopae aetas. Ex quo enim homo omnes fructus ut deorum immortalium dona pia grataque mente accipere consuevit, aratio quoque non modo non crimen numinis violati, sed sanctum quoddam officium, in deae tutelam commissum, visum est, quod quanto diligentius actum esset, tanto magis Cereri, agros tertiatos amanti, placiturum esset.

ADDENDVM.

Ad p. XIII: *cognitu dignissimam speciem procreavit.*] Cereris religio quam formam in Sicilia Dinomenidis in urbe Syracusarum imperantibus induerit, e longinquo divinare licet ex Diodori loco corruptissume in libris tradito, qui hunc in modum, ni omnia fallunt, restituendus videtur, Diod. XI, 26 extr.: ἐπεβάλετο δὲ (ὁ Γέλων) ὕστερον καὶ κατὰ τὴν Αἴτνην κατασκευάζειν νεὼν Δήμητρος [λεγομ]ένης κοραγούσης. Codd. nullo sensu: Δήμητρος ἐννηὼς δὲ οὔσης. cf. Holm, Gesch. Sicilien's, I p. 418, ad 211. De verbo: κοραγεῖν cf. Hesych. κοραγεῖν· τὸ ἀνάγειν τὴν Κόρην. Preller, Dem. und Pers. p. 122. Rectissume Riccardus Foerster, Raub und Rückkehr der Perseph. p. 105. Cererem κοράγουσαν ab Eleusinio cultu abiudicavit. In Siciliae Cereris mythis res non incredibilis, quippe quibus cognatio aliqua sit cum eis Cereris religionibus, quae in Peloponneso viguerunt, velut apud Gytheatas; cf. Arthurum Milchhoefer in Archaeolog. Zeitung, vol. 41 (1884), p. 223 et tab. 13.
